

86. SPIGELIA. *Gen. Pl.* 160.

CAL. *Perianthium* monophyllum, tubulatum: apice quinquentatum . . .

COR. monopetala, tubulata, quinqueplicata, calyce triplo longior. *Tubus* cylindricus, calycis longitudine. *Limbus* campanulatus, plicatus, quinquentatus: dentibus acutis, ovatis, erectis.

STAM. *Filamenta* quinque, capillaria, ad apicem Tubi limbo inserta, limbi mediæ longitudinis, apice paulo incurva. *Antheræ* lineares, supra basin filamentis affixæ.

PIST. *Germen* subrotundum, parvum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum, a medio sursum incrassatus, tubulatus. *Stigma* acutum.

PER. *Capsula* didyma vel duæ coalitæ, subrotundæ, uniloculares, univalvis.

SEM. nonnulla (8-9), angulata, in orbem imbricata, supra receptaculum seminum nuda, foras convexa, margine acuto, subrotundo, crenulato, intus pro varia compressione seminum angulis 3. 4. 5. notata.

87. CONVULVULUS & IPOMOEÆ. *Gen. Pl.* 157. 158.

Saltem indigitare volui hic haberi plures species Capsula quadriloculari, quadrivalvi: Seminibus solitariis, ovatis, hinc convexis inde angulatis.

Quoad reliqua difficile limites horum Generum indagarentur, quum Corolla, Calyx & Stigmata gradu alterutrius censum intrant.

88. CORDIA. *Gen. Pl.* 1002.

Tres Species fructificatione affines, Corolla licet & Calyce diversas legi, quas, ob stylum dichotomum, quadrifidum, & Drupam parvam, ex genere Cordiæ esse non dubito, nullam tamen ex plantis Plumieri in Spec. Pl. p. 60 & 16 relatis esse autumo. Distinctam ergo Fructificationis harum tradam descriptionem. Forte enim species Plumieri in aliqua fructificationis parte distincta sit.

a) *Cantaro* nom. vulg. (*Gerascanthus* Brow. 170.)

CAL.